



19  
3

PRO SANCTISSIMO  
LIBRO CHRISTIANÆ  
CONCORDIÆ

DISPUTATIO TERTIA

SEPTEM CAPITVM.

1. Origo & determinatio certaminis de peccato Originis.
2. Demonstratio evidens, quòd sit pec: Orig. & quomodo propagetur per traducem.
3. Quis sit autor.
4. Quomodo definiatur, & quæ ejus natura.
5. Refutatio Pelagianorum.
6. Refutatio Manicheorum & Flaccianorum.
7. Nomina, appellationes & phrasæ in ecclesia receptæ.

Habita

A SALOMONE GESNERO S. THEOLOGIÆ  
Doctore & Professore Vitebergæ,  
respondente

M. BENEDICTO SCHELIO Lubecensi,

Kalend. Septembr. Anno 1593.



WITEBERGÆ,

Typis M. Georgij Mullerj,

Anno M. D. XCIII.





AMPLISSIMO ET PRV.  
DENTISSIMO VIRO, Dn. HERMA.  
NO Warmbuchio I. U. D. ac inclytæ  
Reipub. Lubecensis consuli di-  
gnissimo

Nec non

ORNATISSIMO VIRO, SINGV.  
*lari vitæ integritate spectato, Dn. Hieronymo  
Warmbuchio, eiusdem civitatis civi prima-  
rio & industrio, Dominis patronis, fauto-  
ribus & Meccænatibus debita obser-  
vantia colendis, donare, dedi-  
care, voluit, debuit*

M. Benedictus Schelius Lub:  
Respondens.





# DE PECCATO ORIGINALI.

## CAPUT PRIMUM.

### I. Thesis.

*Origo & status controversiæ de peccato originali.*



Conflictu de libero arbitrio & viribus humanis orta est inter Augustanæ confessionis professores Anno 1561. in Vinariensi disputatione controuersia de vera peccati originalis definitione, qua quid illud sit, quæsitum est.

### II. Thesis ἡ ψευδοδοξία.

Vna etenim concertantium pars voluit: peccatū Originis esse ipsissimā hominis & animæ humanæ substantiā atq; naturam, adeo, vt nunc post lapsum inter hominis naturam & essentiam interq; peccatum originis nullum omnino discrimen restet.

### III. φηρομένη ἀπόδειξις παραλογισική.

Eamq; opinionem eiusmodi argumento collegerunt: Quia inquit humana natura per lapsum totaliter infecta & corrupta est. Idcirco tota in peccatum transijt, & tota peccatum est.

### IV. τὰ ἐκόμμενα.

Indeq; porro inferunt, quod peccatum, hoc pacto αὐτοσυστατον per sese subsistens, propter eiusmodi ἀνδυπαρξίαν vocetur peccatum naturæ vel personæ, quia non sit cogitatio, verbum aut actio quædam: seu αὐτοσυσία ipsissima natura, ipsaq; anima rationalis in summo suo gradu & præcipuis potentijs.

### V.

Et quod ex hac radice per sese subsistente & agente omne peccatorum genus pullulet & erumpat.

### VI. ἡ ὀρθοδοξία ἀνύκαμμένη.

Aduersa pars in negando occupata fuit. Primum enim negarunt peccatum esse αὐτοσυστατον ipsumq; hominis corpus & animam: idq; eò, quia necessario etiam post lapsum discrimen inter Dei creaturam, quæ est natura & essentia hominis, interq; peccatum, quod est diaboli opus, conseruandum sit.

### VII.

Deinde asseruerunt peccatum esse quiddam ἐνυπόστατον & παρκεϊμένοιο morbū in ipsa hominis natura, corpore, anima, omnibusq;



busq; viribus humanis : horrendam videlicet profundam intima, atq; verbis in explicabilem humanæ naturæ corruptione, qua homo iustitia Originali, in qua conditus fuerat, spoliatus inque spiritualibus prorsus emortuus, & ad opera Deo placencia ineptus fit, & ex hac corruptione omnia peccata actualia promanare.

VIII. *Utilitas huius disputationis.*

2. Tim. 3.  
16.

Atq; hæc quidē controuersia nō est inanis λογολαχία, vt quidam existimant. Sed quando ex verbo Dei solide tractatur multiplicem fructum nobis adfert. Primum etenim prodest πρὸς διδασκαλίαν quod scripturam de peccato Originis recte intelligere & quid sit peccatum animaduertere discimus: deinde prodest πρὸς ἔλεγχον, quod Pelagianorum & Manichæorum deliria inde agnoscimus & refutandi rationem accipimus: tertio utilis est πρὸς ἐπανόρθωσιν, quod agnita naturæ nostræ deprauatione incipimus miseriam nostram deplorare, operum nostrorum salutem desperare, soli misericordiae Dei confidere, peccatum odifse, diaboli potentiam & tyrannidem metuere & cauere. Plurima deniq; in hac disputatione inest παιδεία. Agnita etenim mali nostri magnitudine in maiore precio λυτῶν saluatoris habere discimus: conspecta diaboli vafricie & dolosa inspiratione, auxilium Spiritus sancti ardentius petere incipimus: animaduerso inter naturam, quæ Dei creatura est, interq; peccatum quod à diabolo profectum, discrimine, Dei benignitatem & sapientiam quis non alacriori animo concelebraret?

IX.

Quæ cum ita sint, opera danda, vt controuersia de peccato originis ad normam verbi divini & nostræ confessionis iuxta Canonem antea expositum dextrè explicetur & dirimatur: id quod nunc faciemus.

X.

a August.  
de peccato  
origin. c.  
24. Idem l  
1. aduersus  
Iulianum  
c. 2.

Ac vt in disputatione de re omnium a grauisima non intricemur quæsti. nū varietate & multitudine, decem quæstionib; vniuersam de peccato Originis controuersiam complectemur. Primo dicemus quid sit Originale peccatum: deinde quæ authorem habeat: tertio quid sit: quarto quæ pœna peccato sit imposta: quinto quæ medicina tanto malo parata: sexto contra Pelagianos pugnabimus: septimo Manichæos refutabimus: octauo causas aperiemus, propter quas inter naturam & peccatum

tum



tum discrimen retinere oporteat : nono errorem de peccati sub-  
stantia refellemus : & deniq; sanam verborum formam expona-  
mus singulas autem singulis capitibus tractare necesse non est.

CAPUT SECUNDUM,

Quo explicatur prima questio, an sit peccatum Originis.

Thesis I. ἀπόφασις.

An sit peccatum aliquod Originis principio inquirendum est.  
Fuerunt enim & sunt qui peccatum Originis planè pernegant.

II. λόγοι τῆς ἀποφάσεως γραφικοί.

Eiusq; sententiæ firmamentum in illo Ezechielis 18. collo-  
cant, vbi Deus ait: Filius non portabit iniquitatem patris: nec  
non in Apostoli sententia Rom. 5. patrocinium quærunt, qui di-  
cit, per vnus hominis inobædientiam peccatores constitutos es-  
se multos: si enim, inquit, ex ipsa natiuitate peccatum trahi-  
mus, non modo multi, sed prorsus omnes peccatores sumus.  
Nec non & istud iactitant, quod Paulus scribit, peccatum per v-  
num hominem in mundum intrasse: indeq; sic inferunt; non ex  
vno homine nascimur: Ergo peccatum generatione nobis non  
instillatur. Cinglius vrgebat, quod Rom. 3. 21. legitur, Ex lege  
cognitio peccati est, & Rom. 4. 15. vbi non est lex, non est præ-  
varicatio: & idcirco in infantibus peccatum esse negabat, quia  
legem ignorant. Usurpabant etiam Pelagiani istud Apostoli  
Rom. 9. quando asseuerat, infantes nihil boni vel mali agere,  
atq; inde infantes esse concludebant. Rationes præterea quoq;  
addebant. Nam peccatum debet ἐκ προαίρεσεως proficisci & vo-  
luntarium esse: in infantibus: autem nulla προαίρεσις: idcirco  
neq; peccatum. Ac si peccatum à parentibus ducimus, coniugi-  
um rem malam esse sequetur.

Cinglius  
in libro de  
baptismo.

III. λύσις τῶν ὑποφορῶν.

Ad plerasq; istas obiectiones Augustinus recte respondet. Et  
ad locum Ezechielis ita infert libro contra Donatistas post col-  
la: : Tomo: 7. Hoc agit misericordia & iustitia, & ad mala non  
consentientibus bonis mali non obsint: sed vtriq; propriam sar-  
cinam portant, vt nec filius accipiat peccata patris, nisi cum fue-  
rit in malis imitatus: sed anima quæ peccauerit, ipsa morietur.  
Et b alibi, Parentum, inquit, peccata modo quodam dicuntur a-  
liena, & rursus modo quodam reperiuntur & nostra. Aliena  
quippe proprietate sunt actionis, & nostra sunt contagione pro-

a) August.  
question.  
sup. Deu-  
leronom:  
quest. 42.  
T. 4. col.  
270.  
b) August.  
l. 6. contra  
Iulianum  
Pelag. c. 4.  
Tom. 7.  
col. iiii.





paginis. Quo sensu multi pro omnibus in epistola ad Romanos nominentur idem sic explicat: c. Apostolus ibidem eosdem omnes postea multos dicit. possunt quippe in aliqua re omnes esse, qui pauci sunt: sed multos habet generatio carnalis, multos & spiritualis; quamvis non tam multos hæc spiritualis, quam illa carnalis. Quid vero aliud agit Apostolus Rom. 3. 1. Cor. 15. Gal. 5. Eph. 2. v. 3. Salvator Iohan 3. 6. & vniuersa scriptura, quam quod ostendit, nos omnes natura esse peccatores. Reliqua quæ adducunt exilia sunt sophismata, quam vt responso indigeant. Quod autem de voluntate & assensu addunt, id in actualibus peccatis locum habet. Ac tametsi infantes actu secundo τῆ ἰνυργία non possunt assensum præbere, tamen ipsa facultas προαιρετική vitiata & in malum procliuis est. Malum enim est cor hominis ab infantia sua: & cuncta cogitatio cordis humani intenta est ad malum omni tempore.

IV. κατὰ φασίς

Augustin. Figmentum est, quod Pelagiani statuerunt, peccatum per Adamum non aliter in mundum introductum esse, quam quod malo suo exēplo posteris ad peccata fenestram aperuerit. Quemadmodum scriptura id evidentissime & maximè Rom. 5. 1. Cor. 15. Gen. 6. & 8. Psalm. 51. refellit, ac ostendit nos non modo imitatione sed generatione & natura esse filios iræ & peccatores.

V. ἀποδείξεις ἐπιληκοὶ τῷ ἵνυου.

Proinde Christiani non modo actu alia delicta pro peccatis habere, sed malum naturæ inhærens imprimis pro fonte & radice omnium malorum & peccatorum agnoscere debent. Siquidē scriptura non modo actiones nostras accusat, quod repugnent mandatis & voluntati divinæ, sed aperte dicit nos in peccatis natos & conceptos esse.

VI. πρῶτον ἐν τῆς παλαιᾶς διαθήκης.

Quid enim evidentius dici posset, quam quod Spiritus sanctus affirmat Gen. 6. Omnis imaginatio cogitationum cordis eius tantum malum omni die. Nam si quis in eo Sophisticari velit, quod Deus loquatur de Cainitarum sceleribus, ei plurima obstant, quæ refelli nullo modo possunt. Cainianorum scelera notat, cum dicit multa est malitia hominis מרוב רב: erant enim illa multa & varia. Verum peculiare quoddam malum est, de quo non πλατῶντικῶς sed ἐνικῶς subiicit: omnis imaginatio seu factio



fictio cordis auis tantum M A L V M, מַלְוּם : hoc enim substan-  
tuo omnes cogitationes humanæ mentis penitus malas & de-  
prauatas esse docet. Ac ne aduulorum solummodu peccata in-  
nuisse videatur, idcirco addit *Omni die*, vnde colligimus non v-  
nius dieculæ vel infantulum vel embrij nondum in lucem e-  
diti corculum hoc malo carere.

## VII.

Similiter psalmus 51. primam nostram Originem accusat:  
Ecce, inquit, in iniquitate genitus sum, & in peccato concepit me  
mater mea. Dicat quispiam, parentum libidinem accusari & in-  
ordinatas flammæ: verum adeo circumspicere loquitur David,  
vt nulla ne specie quidem verba eò detorqueri queant. Nam ait:  
יְהִי לִי כִּי אֲנִי וְיִשְׂרָאֵל וְיִשְׂרָאֵל וְיִשְׂרָאֵל quod nõ certè ἡεργυτικηρ peccandi Voluptatem, sed πα-  
θητικὸν παριέδι nascendiq; dolorē significat, eumq; ipsum actum,  
quo non sine magnis cruciatibus in lucem edimur peccato con-  
taminatum asseuerat, idq; ita quidem, vt non modo in matre  
peccatum hæreat, sed inde in nos reuera transeat. Quod etiam  
altera vox evidentissimè aperit. Nam si quis putet, nos tum de-  
mum infectos esse, cum mater nos enixa est, audit hic asseren-  
tem Dei Vatem, וְיִשְׂרָאֵל, cuius verbi ea vis est, vt ipsum τὸ φυτι-  
κὸν generandi facultatem, quæ alioquin ἄλογος omniq; sicut in-  
tellectu ita assensu destituta, peccati arguat, & non modo illam  
calefaciendi & fovendi potentiam, qua intra aluum maternam  
formamur & alimur, corruptam, sed nos illa ipsa caloris trans-  
fusionem labem traxisse queratur. Denique Scopus Davidi pro-  
positus convenientissimus Verborum interpretis est. Non e-  
nim scelerum suos castissimos parentes reos agere exemplo-  
què primorum parentum μετασάσε & culpæ translatione se  
infontem probare, sed vsq; adeo reum declarare vult, vt nõ  
in adulterio demum divina se violasse mandata, sed pec-  
catum ab vltimo infantia principio sicut aquam, vt Iobus  
capite decimo quinto & decimo sexto sese bibisse palam pro-  
fiteatur: & quis? Vates secundum voluntatem Dei.

Addit



Addit Iobus cap. 14. 4. suum calculum. Vbi quidem hebraica veritas ita legit: Quis dabit mundum ab immundo? Nec quidem vnus dabitur. Argumēti vis ita habet. vbi materia & forma impura & vitiata est, ibi effectum nequit esse purum. Sed homo ex immundo est semine ortus. Quomodo igitur non totus immunditie violatus & foedissimè contaminat⁹ esset. Neue quis infantiam excipiat, & in ætatem rationi maturam peccatum referat, idq; facto nō ortu cōtra hi iudicet: idcirco septuaginta viri non tam verba quā verborū pondera exprimere voluerūt, & addiderūt ista: *τις γὰρ καθαροῦ ἔσεια ἀπὸ ῥύπτου; ἀλλ' οὐδεὶς: ἐὰν ἢ μεία ἡμέρα δ' εἶος αὐτῶ ἐπὶ τῆς γῆς.* Si velis sanctos sanctorumue liberos ab hac damnatoria tabella eximere, audi quid sequens caput subiiciat: Quid est quod homo sit mundus, & quod purget ac iustificet se natus ē muliere: Ecce sanctis suis fidem non habet, si puritatem præ se ferre velint. Quin ipsi quoq; cœli non sunt puri in oculis eius? Quanto magis abominabilis & graueolens, quī plenis faucibus in sese peccatum ingurgitat instar aquæ. Atque hic si velimus ἀκριβολογῆν, verbum *πῦϋ* eiusmodi potationem significabit, ratione adiunctorum habita, qua fretus in vtero matris nutrimentum attrahit, simulq; peccatum imbibit.

X. ἀποδίωξις λοιπῶν ἀποδείξεων.

Plura cumulare desino veteris testamenti testimonia, qualia sunt Es: 64. Vniuersæ iustitiæ nostræ instar panni menstruo polluti. Item 48. Transgressorem ex vtero vocavi te. Hier. 17. Præuum est cor hominis & inscrutabile: lib. 4. Esdræ cap. 4. Gramen seminis mali seminatum est in corde Adam ab initio, & quantū impietatis generauit usq; nunc, & generat usq; cum venerit area. Exodi 34. Nullus apud te per se est innocens. Et quæ passim occurrunt similia. Quo etiam typi pertinent, qui hæreditariam istam labem significabant. Nam idcirco mulieres à partu immundæ censebantur & purgatione suiq; sanctificatione indigebant, et masculi idcirco circumcidebantur, vt vitiositas illa ab ortu omnibus inhærens demonstraretur.

XI. ἀπεδείξεαι τῆς κοινῆς διαθήκης.

Ex nouo testamento innumeræ sese offerunt probationes, sed tria nobis loca nunc quidem sufficiant. Primum enim Saluator loh. 3. naturæ nostræ prauitatem abundè declarauit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu non potest ingredi in regnum



gnum cœlorum: & causam subiicit: Quia quicquid natum est ex carne caro est. Quid autem ista caro? Idem declarat Ioh. 6. Caro non prodest quidquam. Et Ioh. 1. δέλημα σαρκός nominatur, quod natura nobis obstat, quo minus à parentibus filij Dei procreemur: quod Apostolus eodem sensu nominat φρόνημα τῆς σαρκός Rom. 8. quod bellum gerit ἄσπονδον aduersus φρόνημα τῷ πνεύματος. Caro enim concupiscit aduersus spiritum, Gal. 5. Quoniam non habitat in nobis, hoc est in carne nostra bonum.

## XII.

Deinde evidens est Apostoli Pauli Roma. 5. demonstratio. Per vnum, inquit, hominem peccatum in mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt. Argumētum est eiusmodi: Per Adamum eiusmodi peccatum in mundum intrauit quod omnibus hominibus commune est. Sed id peccatum quod quisq; actu committit, non omnibus commune est: siquidem infantes actualia peccata nondum possunt committere. Ergo præter peccata actualia erit aliquod peccatum ipsa propagine ab Adamo in vniuersos transfusum. Neq; est quod quispiam existimet Paulum de eo saltem conqueri, quod Adamus legem divinam primò transgressus sit & exemplo posteris nocuerit. Ipse Apostolus hoc ipsum accuratè cauet: ideoq; originalis mali deriuationem notis pluribus describit. Neq; enim simpliciter dicit peccatum in mundum opera vnius hominis intrasse, sed stipendium peccati, mortem, in omnes homines pervasisse. Quod si mors in omnes pervasit inq; infantes etiam, qui ad delicta actualia nondum maturas animi corporisq; vires habent, causam quoq; mortis illinc in omnes transiisse oportet. Nisi Deum iniustitiæ & crudelitatis arguere velimus, qui infantes quoq; morte mulctare non dubitet. Deinde vsq; adeo dominata est mortis tyrannis; vt in eos quoq; iusto Dei iudicio imperium & vim habeat, qui non peccauerunt simili & actuali transgressione divinorum mandatorum, sicut Adamus. Deniq; cum Paulus comparationem ἐν ἀντιθέσει instituat τῷ παραπτώματος καὶ τῷ χαρίσματος licet inde sic colligere. Quo pacto peccatum per Adamum in omnes homines ingressum & propagatum est, eodem etiam modo gratia per Christum. Sed si peccatum tantum imitatione

B Adami



Adami posteros occupavit: similiter gratia imitatione Christi constabit. Hoc autem absurdissimum est. Usque adeo enim imitatio Christi nos in gratia Dei non constituit, ut nisi ex aqua & spiritu ipsoque Deo regenerati animaque & corpore reparati simus, Christum imitari nullo modo queamus. Quare quemadmodum ex Altero Adamo, Christo, per regenerationem ex aqua & spiritu ipsius divinæ naturæ & spiritus communicatione, reparamur: Ita ex primo Adamo per natiuitatem carnalem, Carnis peccatricis communicatione peccatum accipimus. Hic διαδοχή & μέθεξις est ex homine in hominem mediante naturali generatione: illic μετάδοσις à Christo vno in omnes homines mediante παλιγγενεσία ex aqua & spiritu.

XIII.

Denique; Apostolus Eph. 2. Eramus mortui transgressionibus et peccatis: in quibus & nos omnes aliquando ambulauimus in concupiscentiis carnis nostræ, facientes voluntatem carnis & affectuum; Et eramus natura filij iræ, sicut etiam cæteri: Quod si ipsa φύσις natura & natiuitate sumus filij iræ, primaque statim origine caremus gloria Dei, ut idem affirmat Rom. 3. 23. gloria inquam Dei, in qua conditi fueramus ad imaginem & gloriam Dei: 1. Cor. 9. 7. Eph. 4. 24. Oportet ut à parentibus exitialis peccati lues nobis instillata sit, qua infecti diuinæ iræ sumus obnoxij.

XIV.

Ex his abunde liquet, esse aliquam labem eamque minime exilem sed omnium foedissimam & prorsus horrendam, quæ naturæ penitus infidet, quæque non aliter, ac è fonte, qui veneno infectus per omnes riuulos virus emittit, à primo parente per propagationem ad nos usque defluentem, indeque in posteros emanantem in universam Adami stirpem descendit.

XV. ζήτημα περί ἕξις τῆς διαδοχῆς.

Hic nobilis illa quæstio exoritur de animæ origine. Cum enim originale malum corpori & animo & huic potissimum inleat qui veluti vehiculum est peccati, non abs re quæritur, unde anima ortum suum habeat. Idque tantopere vrgent Pelagiani, ut in eo spem certæ victoriæ collocent, si animam ex Adamo non trahi.



trahi demonstrare queant. Si enim peccati subiectum, in quo, quasiq; vehiculum, anima, non ex Adamo deducitur, nec ipsum peccatum inde in posteros traicitur.

XVI.

Variè ad quæstionem responsum fuit. Nam a aliqui id stauisse videntur, quod animæ nostræ sint particula diuinæ substantiæ, & à Deo mirabiliter in nos immittantur. Alij, b quod animas simul omnes vnâ cum angelis Deus condiderit, illas autē consuetudine Dei posthabita, tēdioq; rerum cœlestium affectas corporum terrenorum affectasse consortium seq; in corpora immerfisse; perinde vt angelorum ingens multitudo in veritate non steterit: Alij c cum difficultatem quæstionis animaduertissēt omnem inquisitionem sustulerunt, quasi vel non necesse esset animi originem scire, vel aliquid solidi de ea cognoscere ingenij captum superaret. Bellarminus d hominibus singulis animas singulas non ex propagine sed ex nihilo tuuc primum creari, atque infundi, cum in vteris matrum foetus concepti atq; ad animationem præparati sunt.

a) August. lib. de hæres. cap. 6. 46. 70.  
b) Platon: quam sententiã tuc tur Origenes lib. 1. πειρὶ ἀσχεσ. c. 7.  
c) Augustinus.  
d) Tom. 3. contr. 2. lib. 4. & 11. opinione sexta.

XVII.

Omnes istæ opiniones argumentis partim ex scriptura, partim ex vera Philosophia refutari possunt, quod nunc prolixum foret & à re alienum. Quare omisis opinionibus veram sententiam breuiter indicabimus.

XVIII.

Nostra proinde natiuitas ita comparata est, vt totus homo constans anima & corpore totum hominem constantem anima & corpore generet, & in semine animus potestate insit, posteaq; in actum traducatur.

XIX.

Nam tametsi legimus Deum primo homini inspirasse spiraculum vitæ & animam: tamen longè alia creationis primi hominis est ratio, quam successiuæ generationis.

XX.

Ac si Deus stirpibus, arboribus herbis, omniq; animantium generi eam vim indidit, vt sibi similia procrearent, cur nobilissimæ creaturæ id ipsum denegaret? Imo verò non minus homini, quam alijs dictum est: Crescite & multiplicamini.

B 2 Adamo





## XXI.

Adamo quidem spiraculum vitæ Deus inspirat, Euxæ inspi-  
rasse non legitur: quæ res argumento est, quod non modo ex  
carnibus & ossibus Adami nati & extructa, sed quod ab anima  
virili animæ muliebris veluti scintillula ab igne luculentiore ac-  
censa, & traducta sit: id quod haud obscure Apostolus 1. Cor. 11.  
8. innuere videtur.

## XXII.

Præterea Gen. 5. Adamus filium genuisse dicitur ad imagi-  
nem & similitudinem suam. Vnde sic ratiocinamur. Imago  
Adami vel fuit in eadem parte hominis, in qua fuerat imago Dei,  
vel in diuersa. Si statuatur in diuersa: certè non erit perfecta ἀντι-  
θεσις τῆς τοῦ αὐτοῦ & ἐν τῷ αὐτῷ quando imagini Dei, quæ primi-  
tus in nobis fuit, & ad quam πάλιν γενεσίᾳ reparamur, oppo-  
nitur imago Adami, & ita quidem opponitur, vt imago Dei per  
imaginem Adami destructa dicatur: 1. Cor. 15. 48. 49. Ergo ea-  
dem est τῆς ἐπιστάτης κακῆς sedes, quæ erat τῆς ἐπικτητῆς καλῆς iusti-  
tiæ originalis. Hæc vero non modo in corpore, sed potissi-  
mum in anima arcem suam habebat: ibidem igitur peccatum ha-  
bitat. Quapropter cum similitudo Adami filijs impressa ipsum  
sit Originis vitium, quod in locum integritatis primitiue suc-  
cessit, eoq; animo penitissimè inhæreat, necesse profecto est, vt  
Adamus non solum corporum, sed & animorum posteris origi-  
nem præbeat.

## XXIII.

Quæ etiam causa est, quod cum scriptura homines natos ef-  
se significare vult, animas factas & generatas asseuerat: Gen. 12.  
a. Exod. 1. a.

## XXIV.

Ex his patet quod homini Deus in prima creatione eo ipso  
mandato, cum dicit, crescite & multiplicamini, illam vim & fa-  
cultatem indidit, vt integer homo secundum animam & corpus  
integri secundum animam & corpus hominis causa sit propinqua  
& mediata: atq; in semine non modo materia & corpus, sed et-  
iam forma & anima τῆς δυνάμεως insit, quæ divina ope in actū pro-  
ducitur. Atq; ita anima per traducē oritur, non sigillatim cæli-  
tus cuiuis illabitur. Neq; verum est illud falsò ex Aristotele &  
perperam arreptum, quo pleriq; censent νοῦν δὲ ζῴων ἐπιει-  
κῶς.

Quæstio



XXV.

Quaestio haec ita discussa toti negotio lucem minimè vulgarem affert. Exploso enim scholasticorum figmento, qui carnem solummodo peccati originalis labe infectam contra scripturam asserere non verentur: videmus primitivam hanc labem nō modo corpori inhaesisse, sed in omnes animæ facultates sese penetrasse, atq; inde in posteros defluere, quia parentes liberis vna cū corpore, divina ordinatione & stabili naturæ lege, animi igniculū tradunt, qui cum in parentibus fæde contaminatus sit, non potest purior in liberos descendere.

Lombard. lib. 2. sent. dist. 31. Scotus, Durandus & alij comment.

Bellarminus T. 3. contr. 2. l.

XXVI.

Sed perinde se habet ac si de trunco & stipite venenatorami & poma virus attrahant cumq; ipso humore & nutrimento accipiant.

4. c. 12.

XXVII.

Vnde necesse est neminem omninò hominem vñitata consuetudine natum esse, qui non ea vitiositate aspersus sit.

XXVIII.

Ideoq; salvator noster non ex virili semine, sed mystico spiramine conceptus & ex Maria virgine natus est præter vniuersalem nascendi legem, vt sancta eius caro è sanctificatis formata sanguinibus omni labe careat, quæ omnibus peccati medicinam adferre debebat.

XXIX.

Quod autem ad reliquos attinet homines, de omnibus καθόλου & παντός verissimum est apostoli pronunciatum. Conclufit Deus omnia sub peccatum, vt omnium misereatur. Rom. 3. 9. Gal. 3. 22. Neq; fidelium liberi eo quod sanctæ radicis sancti sunt rami, idcirco contagione hæreditarij peccati carent, vt Calvinus censet; Ea enim sanctitas haud quaquam talis est qua coram Deo iusti sint, sed est prærogativa, qua in ecclesia nati αγωγή & accessum habent liberum ad media & sacramenta, quibus Deus salutem & veram sanctitatem operatur, vt textus Rom. 11. clarè demonstrat.

l. 4. inst. ca. 16. par. 24. 26.

XXX.

Putidum præterea est quod pontificiæ idolomania patroni & in his Bellarminus censet pie & rectè existimari B. virginem Mariam singulari Dei priuilegio ab omni omnino peccato fuisse immunem.

XXXI.

Quæ omnia eo scire vtile est, vt Pelagianorum ratiocinationem supra positam eo efficacius reprimere possimus: Cum enim





enim vnâ cum corpore ipsa anima in sobolem propagetur, fūda-  
mentum Pelagianæ assertionis euersum est. Sicut etiam Iulianus  
Pelagianus facile retunditur: Sic enim ille interrogat: non pec-  
cat ille qui nascitur: non peccat ille qui genuit: non peccat ille  
qui condidit, per quas igitur rimas inter tot præsidia innocen-  
tiæ peccatum singis ingressum. Huic enim respondet sancta pa-  
gina: per vnum hominem peccatum intrauit in mundum. Loma-  
bard. lib. 2. dist. 31. art. 1.

### CAPUT TERTIUM.

*De autore peccati Originalis.*

*Thesis I. ἀπόφασις.*

Causa peccati & autor si inquiratur, nequaquam cum Calvi-  
no culpam in Deum transcribere debemus. Deus enim non est  
tanti mali autor, à quo quæcunq; condita sunt, vehementer bo-  
na sunt, vt in articulo Aug. Confessionis decimonono docetur.

II.

Horrendæ & Christianis auribus, prorsus intolerabiles sunt  
*Calu. l. 3:* voces, quod Calvinus blasphemus evomit calamo, cum ait: Pri-  
*Instit. cap:* mo omnium constare inter omnes debet, quod ait Salomon,  
*22. § 6.* Deum omnia propter semetipsum condidisse, impium quoq; ad  
*Idē docent* diem malum, Prouerb. 16. 4. Ecce cum rerum omnium disposi-  
*Beza in li-* tio in manu Dei sit, cum penes ipsum resideat salutis ac mortis  
*bro contra* arbitrium, consilio nutuq; suo ita ordinat, vt inter homines na-  
*Heshusii* feantur ab vtero certæ morti deuoti, qui suo exitio ipsius nomē  
*p. 315. 319* glorificent. Vbi quidem Calvinus puerilem admodum paralogis-  
*320. & a-* mum facit, in alleganda & interpretanda sententia Salomonis.  
*libi. Mar-* Sic enim argumentatur: Deus condidit impium ad diem malū.  
*tyr in loc.* Ergo Deus ordinat aliquos ad æternū exitiū. In antecedente est  
*Bullingeri* cōpositio & divisio & homonymia. Ambiguitas est in voce, ad di-  
*Rom. 3.* em malum. Dies enim mala pœnam significat, quam non necesse  
*Martyr* est de æterno exitio interpretari: Cum Deus apud Ezechielem  
*Rom. 5. pa.* cap. 18. & 33. disertis verbis iuret, Vivo ego nolo mortem pecca-  
*38. & 40.* toris, sed vt conuertatur & vivat. Figmentum itaq; hoc est Cal-  
vini quod Deus aliquos ad æternū exitium deuouerit. Nam  
Salomon loquitur de pœnis corporalibus quibus impios afflige-  
& ad pœnitentiam adhortari solet: quod si paternam Dei vi-  
sitationem non agnoscant in peccatis suis merito pereunt & cau-  
sa interitus penes ipsos residet. Deinde ea coniungit Calvinus  
quæ



quæ coniungenda non erant. Censet enim quod Deus malum condiderit & ad exitium prædestinauerit, quatenus malus est: id quod ex eo patet, quia putat iustitiam Dei alioquin non manifestam futuram. Sed Salomon pulcerrimè discernit, & ne mali causa vel voluntas vlla in Deo statuatur, ideo mox subiicit: Abominatio est Domino omnis elatus corde. Quare Deus quidem condidit & conseruat impium, sed non quatenus impius, verum quatenus homo & creatura Dei, neq; conseruat eum ideo, quod eius exitio delectetur, sed vt Petrus ait, indulget ei tempus poenitentiae, quæ si non sequatur, mox mox ingruit ei interitus, vt hic Salomon subiicit.

III.

Non minus horrenda sunt etiam ista eiusdem: vnde factum est, vt tot gentes vnà cum liberis eorum infantibus æternæ morti inuolueret lapsus Adæ absq; remedio, nisi quia Deo ita visum est? Hic obmutescere oportet tam dicaces alioquin linguas. De cretum quidem horribile, fateor: inficiari tamen nemo poterit, quin præsciuerit Deus, quem exitum habiturus esset homo, antequam ipsum conderet & ideo præsciuerit, quia decreto suo sic ordinarat. Plus infert Calvinus, quam præmissæ patiuntur. Nam quod Deus lapsum Adæ præsciuerit, libenter damus, hoc enim vel ex eo patet, quod tanta cum seueritate Adamum admonet deq; secutura clade prædicit. Sed hæc non est causa ipsius cladis vel lapsus, nisi omnes prophetias & prædictiones de futuris poenis velis esse causam ipsarum, quod vehementer absurdum est. Neq; id verè & rectè colligitur: Deus præscit. Ergo Deus ita vt præscit aliquid euenturum ipse quoq; decernit & præordinat, Ineptissima consecutio à philosophis a iam olim refutata. Nam euenta alia simpliciter & immediatè à voluntate Dei dependent, in quibus Dei ordinatio est causa sola *πρωθυμι- menium* *in librum* *VI*: alia mediatè à voluntate Dei dependent, in quibus ordinatio *πρωθυμι- menium* & voluntas Dei agit *επομένως* per causas medias, quarum quidem Deus non est ociosus spectator, sed prudens moderator: neq; *πρωθυμι- menium* tamè sua moderatione causis secundis facultatem & libertatem semel in creatione concessam adimit, & quæ condita sunt, vt habeant sese *οπότες, ετοχε*, illa quidem nequaquã sinit Deus cæco fortune impetu casuq; ferri, sed nec tyrannide quapiam *πρωθυμι- menium* ad hūc vel illum euentum causas secundas adigit, vt faciant *τοδε ή τοδε*.

IV.

Quamobrè inanis & impia est q̄stio, qua rogatur, si Deus præsciuit, &





& impedire potuit lapsum Adæ, cur non impediuit. Responſio parata. Impedimentum duplex eſt: βίαος violentum, aliud πρὸς αὐτὸν & ὑβριτικὸν & ἡγεμονικὸν: Impediuit certè Deus lapſum Adæ antequam fieret, ipſum dehortando ne fiat, quæ Dei concio minime fuit ludicra: & cum fieret iamq; factus eſſet, prohibendo ne amplius quid fieret: vides quæ Deus repagula adhibuerit, & quod non ocioſus permiſſor & ſpectator fuerit, tantū habet, vt lapſu Adæ delectatus ſit? Cur autem βίαός non impediuerit cauſam ſacræ quoq; tradunt literæ. Quia Deus vult ſpontaneam non coactam & tyrannide expreſſam obedientiam. Cōdiderat hominem in liberrima voluntate, & volebat ipſum eam voluntatis libertatem ad glōriam divini nominis exercere, vt apparet luculentiffimè Gen. 2. Et quid opus noſtra ad hanc quæſtionem reſponſione: ſic enim Eccleſiaſticus iam olim ei ſatiſfecit cap. 15. Ne dicas, propter Dominum ἀπέστη, reſceſſi à mandatis eius: Ratio: Quæ enim Deus odit, tu ne facias: ne dicas, ipſe me formauit. Ratio: Non enim opus habet viro peccatore. Omnem abominationem odio habuit Dominus, & non eſt illa amabilis timentibus eum. Ipſe ab initio fecit hominem, & reliquit illum in manu conſilij ſui. Si volueris, conſeruabis mandata, & fidem præſtare beneplaciti. Appoſuit tibi ignem & aquam ad quodcunq; volueris extende manum tuam. Ante homines uita & mors: & quodcunq; placuerit, dabitur illi: Non mandauit impiè agere cupiam, & non dedit ἄνεσιν LICENTIAM alicui peccandi.

V. κατὰ φασίε.

Invidia autem & aſtutia diaboli peccatum & mors in mundum intrauit opera & adminiculo vnus hominis: Gen. 3. Rom. 5. Ioh. 8. 44. 1. Ioh. 3. 8. Atq; hoc eſt illud venenum aſpidum ſub labijs filiorum Evæ Pſal. 140. 4. Rom. 3. 13. Serpens etenim antiquus & magnus draco, Apoc 12. & 20. ſuum iſtud virus homini infudit: vnde omnes peccatores & ſoboles infernalium vipersarum Matth. 23. facti ſumus.

VI. ὑποφορῶς λύσις.

Neq; idcirco, quia Deus principalis noſtræ naturæ & originis cauſa eſt efficiens, qui nos in vtero format, peccati autor & cauſa eſt.

VII.

Distinguendum enim inter ipſum τὸ φῦν ſeu φύσιν natum ſeu na-



seu naturam, & inter *περαφύεσ κακῶν* adnatū malum. Naturam Deus producit, adiuuat & conseruat, in natura & cum natura labes asperā à patre & matre simul in sobolem traicitur.

VIII. *Processus peccati eiusq; generatio.*

Quibus gradibus hæc pernicies in genus humanum à diabolo inuecta sit dignum est apud Mosen consideratione. Nam diabolus intus & foris oppugnat hominem eiusq; animum & corpus suo veneno inficit. Interna spicula venenata sunt tria. Primum est dubitatio de certitudine τῶ ῥητῶς verbi divini, cui diabolicam affingit *διάνοια*: ita τὸν νόον mentem in Eua luce agnitionis divinæ spoliat, & pro certa comminationis divinæ ἐπισκῆμη inducit illi dubiam ἰποχήν, qua dicit fortasse. Secundum telum est odium Dei, quo persuadet Eux, vt statuatur Deum inuidū esse & fraudulentum hostem hominum: istud vulnus inflatum est voluntati τῶσ πρακτικῶν ἢ λογικῶν. Tertium telum est inanis superbia & elatio contra & supra Deum, quo harmonia mentis & voluntatis rumpitur in Eua. Expugnata A R X.

IX.

Hæc sunt spicula λογικῶν ἢ διανοητικῶν: his addit externa τῶ αἰσθητικῶν. quorum 4. sunt gradus. Primo oppugnat & expugnat oculos pomi pulcritudine: Secundo sensum communem & phantasia imaginacione saporis grati & accepti: Tertio ὄρεξι in tali argumento à bonis animi & corporis φαινομένοις: pomum generat sapientiam, & est dulce. Ergo rapiendum: hæc iam erat προαίρεσις & ὄρεξι in Eua, Vnde nullo negotio tandem superat ipsū κινητικόν vt miserrima mulier extēdat manū, fiatq; raptu κλέπτρια: esu & usu ἀυτοφόνος, ἀνδροφόνος, παδοφόνος. Hinc vides quomodo peccatum totam naturam invaserit & occupauerit. Omnes enim homines omniumq; bona in vno erant homine.

CAPUT QUARTUM,

*Definitio peccati Originalis.*

*Thesis I. Ἐυπογία τῶ ὄρισμῶ.*

Quid iam sit hæreditaria illa contagio, non potest humani ingenij sagacitate vel indagari vel satis intelligi, sed è solo Dei verbo, vt Smalcaldici loquuntur articuli, discendum, fideq; non rationis nostræ capacitate æstimandum est.

C Et





## II.

Et Apologia quidem Augustanæ confessionis negotium patris istis articulis comprehendit, quorum priores σύνησι posteriores δέσιν habent. Nam naturæ illa corruptio & bona abstulit et in locum eorum mala intulit.

## III. τὰ σεκτικὰ ἢ ἀδυναμίαι.

Primo raptum est amoris divini vinculum & cum antea charissimi effemus Deo liberi, per peccatum amorem Dei à nobis abalienavimus concitata in nos iustissima Dei ira & poenis temporalibus & æternis, Rom. 5. quæ est privatio bonorum respectu Dei.

## IV

Deinde si ipsam naturam, qualis ante lapsum fuit, & qualis nunc est consideremus, deprehendimus hæreditariam illam depravationem detraxisse naturæ & dona & vim seu facultatem & actus inchoandi & efficiendi spiritualia, 1. Cor. 2, 13. 2. Cor. 3, 5. quæ est privatio respectu naturæ.

## V. τὰ δεσικὰ.

Sed hæc bonorum absentia & defectus non sufficit ad peccati vim exprimendam. Non enim bonis solummodo exuti, sed lethalibus insuper vulneribus affecti sumus: Luc. 10. 30. Itaque bonorum privatio omnium malorum congeriam invexit: Estque originale malum in intellectu & mente non modo simplex ignorantia rerum divinarum, sed φρόνημα nobis spiritualibus & verbo Dei prorsus repugnans: in voluntate labe originalis, non modo est imbecillitas virium naturalium, sed est horrenda pugna & inimicitia aduersus Deum: in omnibus denique viribus animæ & corporis non modo ἀταξία & imaginis Dei, ad quam homo conditus erat, destructio apparet, sed fremitus & pertinax audacia, & insatiabilis libido reluctandi & repugnandi Deo, Rom. 7. 18. 19. 20. Rom. 8. 5. 6. 7. 8.

## VI.

Loquimur autem de rebus spiritualibus, deque homine, qualis est post lapsum ante reparationem. Nam in negotiis civilibus aliquid residuum est facultatis & virium ad honestè iuxta rectam rationem viuendum, & restat in natura etiam corrupta disciplinae externæ qualiscunque gubernatio.

## VII. τὰ ἐπόμενα.

Cum igitur ab amicitia Dei per peccatum exclusi simus &

natu.



natura sumus filij iræ, consequens est, nos ob hanc ipsam nobis in-  
hærentem labem Dei iram sustinere, & pœnis temporalibus ac  
æternis addictos esse: Atq; ita sumus sub potestate & tristissi-  
ma tyrannide diaboli, omnibus miserijs expositi, morti tempo-  
rali adiudicati, & pœnis infernalibus destinati, Gen. 2. & 3, Pro-  
verb. 11. Eccl. 25; Ex, 32. Ps. 56, Num. 15, Ps. 68. & 73. & 106.  
Ezech. 14.

VIII. τὸ τῶ κακοῦ μέγεθος.

Tanta deniq; eius mali magnitudo est & vehementia, vt  
non nisi vnus Filij Dei merito & satisfactione in eo respectu Dei  
regi & occultari queat: & aliter non quam per lauacrum rege-  
nerationis à spiritu sancto natura sanetur: quod tamen ipsum in  
hac vita inchoatione solum sit & ex parte, in vita autem æter-  
na perficiatur, Ioh. 3. Rom, 8.

IX. ὁ ὄρισμός τοῦ ἀρχηγόνος κακοῦ.

Iam si hæc omnia colligamus definitio peccati Originalis ei-  
usmodi extruetur; quod sit horrenda omnium virium in huma-  
na natura deprauatio lapsus Adæ secuta & contra Dei volunta-  
tem astutia diaboli & hominis inobedientia inuecta, qua pulcer-  
rima imago Dei in homine, in qua conditus fuerat prorsus de-  
structa, mens densissimis tenebris ignorantie de Deo excæcata,  
voluntas à Deo auersa, & diuinæ voluntati inimica effecta est,  
pœnæq; tum temporales tum æternæ toti humani generi attra-  
ctæ sunt.

X.

Quibus fundamentis omnes siue pontificiorum siue Cinglia-  
norum nugæ refelluntur, qui labem istam extenuant & natura-  
lia in homine integra esse contendunt. Cinglius a enim pecca-  
ti vim contra propriam conscientiam adeo eleuat, vt peccatum  
nominari non velit. Quemadmodum etiam Consilij Tri-  
dentini b patres tam exile faciunt peccatum Originale, vt concu-  
piscenciam vel fomitem, qui remanet in baptizatis ab Ecclesia  
catholica nunquam peccatum appellatum fuisse contendant. Et  
Bellarminus c ita nos duntaxat peccato obnoxios censet, quo A-  
dami peccatum omnibus imputatur, qui ex Adamo nascuntur:  
quoniam omnes in lumbis Adami existentes in eo, & per eum  
peccauimus, cum ipse peccauit.

a) Cingli-  
de ratione  
fidei ad Ca-  
rol. & de  
baptismo.  
b) Sessio-  
ne quinta  
art: quint.  
c) Tom 3.  
Contr. 2 l.  
5. cap. 17.





## CAPUT QUINTUM.

*Refutatio Pelagianarum opinionum.*

*Thesis I.*

Quare operam dare debemus, ut sanam istam de peccato Originali sententiam factam rectam tueamur, neq; ab hac veritate vel in Pelagianorum, vel in Manichæorum castra deflectamus. Quod ut eo rectius cauere possimus, præcipuos errores tum eorum, qui in defectu aberrant, & parum de tanta labe sentiunt, tum illorum, qui in excessu hallucinantur & nimium dicunt, perensebimus.

*I I. negatur peccati χείρις.*

Primum igitur Pelagianorum errorem damnamus, quando dicunt, peccatum Originis esse solummodo reatum & culpam & imputationem peccati Adami citra omnem naturæ nostræ depravationem.

*III. negatur τὸ χωριστόν.*

Reijcimus etiam illam opinionem, qua docetur, quod prava concupiscentia & affectuum inordinatus estus, iræ libidinūq; fervor & vehementia non sit peccatum, sed conditiones & ποιότητες σύμφυτοι, concreatæ essentiales naturæ proprietates.

*IV. negatur τὸ ἀκακόν, ἀμίαντον, ἀνώτιον.*

Perperam quoq; traditur, peccatum Originale in conspectu Dei non esse tanti momenti, ut propter illud homo iram Dei incurrat, pœnisq; temporalibus & æternis subijciatur, & in diaboli tyrannidem tradatur.

*V. negatur τὸ ἀφθαρτόν τῆς φύσεως.*

Falsum est, quod natura etiam post lapsum incorrupta sit & quidem quoad res spirituales τὰ φυσικά, id est, naturales potentias & vires integras & incorruptas retineat.

*VI. negatur τὸ ἐπιπολάζον.*

Falsum quoq;, quod peccatum Originis sit nævus quidam & macula ἐπιπολάζουσα, quæ foris solummodo homini aspersa & itius non penetret, & accidentia duntaxat ac qualitates non nihil perturbet, ipsam interim naturam inviolatam relinquat.

*VII.*

Falsum similiter, quod peccatum Originale non sit defectus, spoliatio aut privatio ipsi naturæ penitus insidens, & ἀδυναμία

hoc.



ἢ ἀκατασασία omnibus facultatibus inhærens, sed sit externa quoddam ἐμπόδιον, quo vires per se integræ in actione & operatione externa impediuntur, ac si magnes alio illinatur, qui nō ob id virtutem suam prorsus amittit, sed ἐνεργεία & actu secundo tantum suspenditur. Ita enim quidam censent, licet concedant originali malo honestas & Deo placentes operationes impediri, nondum tamen in ipsa intimarum virium arce malum id insidere.

VIII.

Falsum deniq; quod quidam aiunt, hominem ex naturali nativitate aliquid adhuc boni, licet illud modiculum & minutulum sit, reliquum habere, idq; modiculum esse aptitudinem, habilitatem & potentiam & vires aliquas in rebus spiritualibus aliquid inchoandi, & cooperandi.

IX.

Omnia hæc deliramenta Pelagianorum & Pontificiorum πελαγιαριστῶν refutantur solido & immoto fundamento Verbi divini, quo docemur, peccatum Originis extremam esse ἀδυναμίαν humanarum virium, adeo, vt animalis homo non percipiat ea, quæ sunt spiritus Dei, & ne possit quidē, sed divina omnia pro mera stultitia habeat: 1. Cor 2. 14. quodq; non simus idonei vel minimum quidquam cogitare boni à nobis ipsis 2. Cori. 3. 5. Quodq; caro corrupta nihil plane proffit in spiritualibus Ioan. 6. 63. Hoc pronunciato omnia evertuntur, quæ aliquid virium quantulumcumq; illud sit nobis inesse ad spiritualia contendūt. Eorum vero ratiunculis, qui carni abblandiuntur, & hæreditariā labē excusare nituntur opponendæ sunt iudicij divini damnatoris sententiæ, quæ perspicuè asseuerat, omnem sensum & quidem φρόνημα, id, quod est optimum & excellentissimum in natura esse horrendum fremitum & inimicitiam aduersus Deum Romano. 8. 7. & cor hominis extremæ malitiæ plenum esse ab ortu suo: Gene. 6. & 8.

CAPIT SEXTUM.

Refutatio Manichæorum.

Thesis I.

Hactenus refutati, qui τὸ ἦθος tuentur & nimitum extenuant hæreditariam luem, atq; ita κατ' ἔδαφιν delinquant, Nunc ex altera



altera parte sunt, qui πλέον & nimium tradunt de peccato originali, atq; ita καδ' ὑπερβολήν a veritate excedunt. Quare contra hos quoq; veritas immoto Dei verbo munienda est.

II.

Falsum proinde est, quod quidam asserunt, humanam naturam ab initio creatam esse integram, diabolum vero peccatum tanquam quiddam ουσΙΩδὲς & αὐτοσυσαπυ in naturam infudisse: sicut venenum, quod per se est substantia, in vinum immittitur.

III.

Ac vt hoc de primorum parentum corruptione falsum est: ita de nobis quoq; falsum ē, quod καδ' ἕκαστην natura humana seorsim & per se pura primum à Deo creetur, & postea demum creatæ substantiæ peccatum, vt altera substantia, à Satana implicetur.

IV.

Cumq; penitissima illa infectio non ita possit à natura discerni, vt separatim constituatur sed naturæ ἀχωρίσως insideat: idcirco damnanda quoq; illa, quam Augustinus Manichæis adscribit, opinio, quod Deus peccatum solummodo auerfetur & damnet, ipsam autem naturam non excretur. Nam etsi ipsa natura in se & per se, quatenus est Dei opus, nihil damnationi habet obnoxium, tamen postquam hac clade affecta & lethali vulnere vndiquaq; fauciata, ac hæreditaria veluti lepra penitus obfessa & corrupta est, non potest iam seorsim damnari peccatum, vt damnationis fulmen non ipsam naturam attingat & feriat.

V.

Atq; vt in hac disquisitione veram sententiam teneamus, statuendum est, quatenus natura & peccatum discerni queant vel nequeant. Distingui enim τῆ ἐπινοίᾳ cogitatione & intelligentia, non inani & nuda, sed reali seu vero ipsarum rerum discrimine, possunt & debēt, separari nō possunt. Proinde nec vnum idem τὸ αὐτὸ καὶ παντελῶς ἐν ἀδιακρίτῳ καὶ ἀδιακρίτως καὶ ἀδυσφορῶς sunt natura & peccatum, sed differunt vt ἄλλο καὶ ἄλλο neq; contra ita distant vt ἄλλη καὶ ἄλλη οὐσία sicut duæ substantiæ quocunq; modo vnite & copulate, & res duæ ἠποκαμένῳ & subiecto direpmtæ.

VI. ἀποδείξετε τῆς διαφορᾶς.

Quod natura & peccatum hoc modo distinguenda sint, id quidem multis rationibus euinci potest, sed nos eas in 4. classes redigemus, & primam demonstrationem contra Flaccianos, qui



qui Manichæismum nostro seculo ab orco revocarunt, ex articulo symboli nostri Apostolici de creatione: sic concludimus. Ipsam naturam cuiusq; hominis Deus creat & format. Peccatum Deus non creat & format, sed diabolus est eius pater. Ergo peccatum non est ipsa natura, vel contra, sed natura aliud quiddam est, quam peccatum,

## VII.

Maior propositio manifesta est multis scripturæ testimonijs, ex quibus hæc peccata perpenduntur, quæ ostendunt, quopaëto Deus unicuiq; homini τὸ εἶναι dederit, & naturæ vniuscuiusque author sic: Gen: 1. ostenditur, quod Deus ante lapsum naturam condiderit. Quod verò etiam post lapsum pro immensa sua bonitate massam peccato turpissimè contaminat in censervet, & ex immundo semine homines formet, id ex istis patet. Iob. 10. 8. vniuersum Dei opificium quo hominem format in materno utero, pulcerrimè describit, vt nullus anatomicus, vel physiologus: Deuteron. 32. vers. 4. 5. 6. creatura Dei nostraq; natura euidentissimè à peccato discernitur: Ita Deus ipse de suo opere palàm testatur Ies: 45. 9. 10. 11. 18. Et 54. 5. 64. 16. 28. Act: 17. 24. & 14. 15. 16. 17. Apocal: 4. 11. Psal: 139. Eccle. 12. &c. Minorem supra peculiari capite probauimus, de authore peccati, qui est diabolus.

## VIII.

Secunda demonstratio quæ euertit peccati τὸ αὐτὸ οὐσατὸν ἢ οὐσιώδες sumitur ex articulo Redemptionis & ita concluditur Christus Filius Dei assumpsit naturam humanam integram anima & corpore, omnibus οὐσατῶν proprietatibus constantem tam quo ad corpus, quam quoad animum Matth. 1. Lu. 1. 2. & 3. Ioh. 1. 1. Ioh. 1. Sed idem non assumpsit peccatum. Est enim similis nobis per omnia excepto peccato Ebr. 4. 15. & factus est in similitudine carnis peccatricis Rom. 8. 3. quod quidem ab Apostolo duabus de causis dicitur: primum propter personam Christi, vt sciamus Christum assumpsisse eandem naturam carnis quam nos gestamus: Deinde vt nobis gratulemur, si quidem scimus, Deū adeo clementer massam nostræ naturæ, quantumvis peccatu fœdissimè, sit deformata, respexisse, vt iam ipsam assumere nō dedignatus sit: est tamen hoc discriminis inter nos & Christum, quod nos gestamus carnem peccato corruptam: Christus factus est in ὁμοιώματι σαρκὸς ἁμαρτίας, habet similem carnem nobisq; ὁμοσίον sed sine peccato, vt Ebr. e. 7. v. 26, scriptum est, quod sit ὁσιος, ἀκακος, ἁμίαντος, καὶ χωρισμένος



Χωριζόμενος ἀπὸ τῆς ἀμαρτωλῶν: Et ipse gloriatur Ioh. 8. 46. si-  
cut etiam Es. 53. prædixit, & David Psal. 45. hanc ob causam fi-  
lium Mariæ nominat speciosum præ filijs hominum: qua de re  
supra plura sunt tradita: sequitur ergo quod peccatum non sit  
plane τὸ αὐτὸ cum natura humana. Atq; hic valeat illud axioma.  
Quæ in aliquo tertio dissident, illa etiam inter se dissident. Nam  
si in Christo disjunguntur peccatum & natura, certe inter se  
quoq; disiuncta seu diuersa erunt.

### IX.

Quod si quis huic tamen evidenti demonstrationi cedere no-  
lit, eum infinita sequentur absurda, adeo ut blasphemiam diffi-  
culter effugere queat. Nam pone peccatum & naturam humanam  
esse τὸ αὐτὸ ἀδιαιρέτως, ἀδιαφόρως, ἀχωρίως alterutrum sequatur  
necesse est, ut filius Dei vel peccatum assumerit, quod summè  
blasphemum est: vel nostram naturam non assumerit, nobisq;  
non sit ὁμοῦσιος & caro de carne nostra, ac frater noster, quod  
vniuersam nostram fidem è fundamento euertit. Nam si Carnem  
non nostræ speciei, sed alterius assumsit, nihilo vicinius nobis,  
quàm diabolis & bestijs Christus adiunctus est sua incarnatione,

### X.

Tertiam demonstrationem suppeditat articulus de nostra re-  
generatione, Et si enim per lauacrum regenerationis Origina-  
le malum ita non abluitur, ut non adsit, sed ut non noceat: Ta-  
men quia regeneratio ostendit qualis homo fuerit ante peccatū,  
Eph. 4. & qualis futurus sit in vita æterna: Idcirco recte possu-  
mus ex hoc articulo ita ratiocinari. A quo homo per lauacrum  
regenerationis abluitur id non potest esse ipse homo: non enim  
ipsum à seipso, quatenus ipsum vel abluere vel vlllo modo tolli po-  
test. Sed in baptismo homo abluitur à peccatis, & in hac novi  
hominis assumptione fit depositio veteris hominis Eph. 4. Tit. 3.  
5. Ioh. 3. 6. & ibi tum Christus populum suum saluum fecit à pec-  
catis suis, Matth. 1. 21, Luc. 1. 31. Act. 4. 12. promissamq; illis à  
iugo peccati præstat ἀπολύτρωσιν. 1. Cor. 1. 30. Eph. 1. Col. 1.

### XI.

Quod si quis iterum manifestæ veritati pertinacius sese oppo-  
nat,



ponat, alterutrum eveni re necesse est, vt vel diuersum quiddam sit peccatum à natura : vel si planè est ταυτό, vt ipsum peccatum, αὐτοκακὸν sit baptizatum, & αὐτοκακὸν sit redemptum, & αὐτοκακὸν sit in gratia Dei : & αὐτοκακὸν in nomine S. Trinitatis baptizatum sanctificetur : & ipsa ἀνοσιότης sit sancta : ipsa iniustitia coram Deo sit iusta, & quæ his similia plane horrenda dictu & auditu.

## XII.

Deniq; resurrectionis & vitæ æternæ articulus hoc argumētum refellit. Nam si peccatum idem est quod ipsa nostræ carnis substantia, eaq; omnino & minimè alia ad vitam est resurrectura, vt Iobus 19. 26. credit, & olim in ecclesia δακτικῶς canebant verba symboli, credo huius carnis resurrectionem : oportet vt vel peccatum in vitam quoq; æternam transeat, vel aliud ab isto corpore fortiamur in resurrectione. Quorum vtrunq; scripturæ ex diametro repugnat.

IV.

## XIII.

Paulus autem 1. Cor. 15. clarissimis verbis ostendit, carnem & sanguinem, hoc est; carnales concupiscentias, quas ibidem φθορὰν nominat, non posse regnum Dei ingredi, neq; τὴν φθορὰν posse possidere τὴν ἀφθαρσίαν. Iam vero φθορὰ est peccatum & eius stipendium mors, ἀφθαρσία sunt omnia vitæ æternæ bona. Mox autem ibidem subiungit, quod τὸ φθαρτὸν τῶτο & τὸ θνητὸν τῶτο debeat induere ἀφθαρσίαν & ἀθανασίαν. Vnde concluditur primum, quod φθορὰ sit deponenda & ἀφθαρσία suscipienda : deinde, si deposita φθορὰ nihilominus mansurum τὸ φθαρτὸν τῶτο, aliud profecto erit φθορὰ, & aliud τὸ φθαρτὸν τῶτο.

## XIV.

Sufficiunt hæc demonstrationes ad obtinendum propositum, quod peccatum Originale non sit ipsa hominis substantia, sed quippiam à substantia diuersum intimè tamen naturæ insidens.

## CAPUT SEPTIMUM.

Breuis admonitio de loquendi formulis.

Thesis I.

Qui nostro tempore clamoribus suis perturbarunt Ecclesi-  
am, in

D

am, in



am, imprimis autoritate D. Lutheri niti voluerunt. Lutherus enim alicubi peccatum exaggerans dicit: Tua natiuitas, tua natura, tota tua substantia est peccatum: Sed isti data opera cæcutiunt: cum scire debebant, vocabulum naturæ diuersissimas significaciones habere; & modo ipsam substantiam per se subsistentem modo naturalem ποιοῦντα denotare. Ita cum totus homo peccatum nominatur, peccato vndiq; pollutus & corruptus intelligitur. Quemadmodum Lutheri sententia ex ipsius monumentis clara est.

II.

Quando nos disertè affirmamus peccatum non esse substantiam sed accidens, vsitato scholarum more accidens substantiæ contradistinguimus & intelligimus peccatum non esse quiddam per sese subsistens, sed tanquam venenum, lepra, cancer, gangræna naturæ insidens.

III.

Quo sensu etiam orthodoxi Patres & imprimis Augustinus affirmat: peccatum non esse ipsam naturam, sed accidens vitium in natura. Id quod etiam ex scriptura non obscure colligitur. Nam Paulus nominat ἐνοικῶσα ἁμαρτία, peccatum inhabitans Rom. 7. 17. vbi certè distinguit inter suam personam & peccatū sibi inhærens: paulo post vocat κακὸν παρακείμενον malum adiacens, quod nihil ab accidente distat: Ac si subtilius verborum etymologias scrutari libeat, quid vsitatus in scriptura, quam quod peccatum nominatur παράπτωμα, præsertim Rom. 5. num vero aliter potes interpretari παράπτωμα quam casum & quidem accidens?

IIII.

Sed & Lutherus in Psalmi 90. & capitis 3. Geneseos explanatione voce Accidentis vsus est.

V.

Quapropter sana verborum consuetudo retinenda in ecclesia, neq; peccatum ita accidens est appellandum, vt extenuetur sed ut à substantia distinguatur.

F I N I S.







Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.





AB

50A  $\frac{2}{h, 12}$

ULB Halle 3  
003 485 560




*Sch*

Rest.  
Sep./Okt 84 Schuss.









8  
19  
18  
17  
16  
15  
14  
13  
12  
11  
10  
9  
8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.



19  
3

SANCTISSIMO  
CHRISTIANÆ  
CONCORDIÆ  
ORATIO TERTIA

IN UNO CAPITVM.  
de certaminis de peccato Originis.  
quòd sit pec: Orig. & quomodo  
traducem.

& que ejus natura.  
rum.  
um & Flaccianorum.  
es & p'rases in ecclesia receptæ

Habita  
ESNERO S. THEOLOGIÆ  
Professore Vitebergæ,  
respondente

JO SCHELIO Lubecensi,  
septembr. Anno 1593.



VITEBERGÆ,  
C. Georgij Mullerj,  
M. D. XCIII.

